



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Qua sollicitudine ediderit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

stum, quo minus sibi, hoc ceteris cumulatus
 ciebat satis. Respondere enim Romani Patres
 dispositionem, elocutionem, iudicium, denique
 cuncta plene probantes: adfuisse ei in labore
 propitium Deum, vt idem placeret pariter,
 prodesset. Neq; equidem ambigam, quin euen-
 postea tam felici, tantoq; religionis orthodoxæ
 ac pietatis emolumento per Prouincias omnes
 Christianæ illa disseminata sit doctrinæ summa
 (hoc enim magis, quàm Catechismi, auctori pla-
 cebat nomen) quod non solum mente rectius
 ma primo susceptus est labor, sed etiam inter-
 sum laborem summissione animi, continuaque
 ac multiplici prece conciliatum est adiutu-
 rium Numinis. Hoc anno primum edita est
 summa. Quid autem tum animi esset Canisius
 ipsemet Ioāni Polanco narrat his verbis. Mecum
 velut cum parturiente agitur. Non possum non
 esse anxius, quandiu partus non exierit in lucem,
 vt Dei conspectui possit foetus offerri, atq; conse-
 crari. Vestris interim preceationibus promouete
 successum, vt quo cœpimus, eodem aspirāte, ab-
 soluamus debitum hoc Deo, vobisq; tributum.
 Dominus Iesus in suam gloriam conuertat hanc
 men-

*Qua sollicitu-
dine ediderit.*

mentis meæ trepidationem. Expertus didici quã
 procul absim ab iis, qui recte scribere, & scripta e-
 dere norunt pro dignitate. In hac editione prima
 noluit suum nomen apponi; primum, quod exi-
 stimabat plus operi auctoritatis futurum, si edi-
 tum ferretur Regis Ferdinandi iussu nullo Scri-
 ptoris adiecto titulo. Nimirum ne suo nomine
 (adeò sese despiciebat) opus obscuraretur, & im-
 pediretur utilitas publica formidabat. Deinde ut,
 si quid inde celebritatis cooriretur, ac laudis to-
 tum rediret in autorem, & opificem Deum, de se
 autem ut infimo, & inutili administro penitus si-
 leretur. Postremo ut minor esset Hæreticis cum
 operis, tum hominis mordendi licentia. Eam In-
 stitutionem simul primum edita est, Ferdinan-
 dus per omnes Imperij sui Prouincias spargi, & in
 vernaculum cuiusq; Prouinciæ Idioma conuer-
 sam, exclusis ceteris Catechismis, publice in scho-
 lis, gymnasiisq; tradi iussit. Sæpius deinde est edi-
 ta, ipso præscripto Canisij primo ignari, postea cū
 latere non posset, minime repugnantis nomine,
 præclaroque diplomate Ferdinandi adiecto. No-
 tius est quam ut sit à nobis prodendum, quanto
 ubiq; consensu, quanta approbatione catholico-

*Quare nomē
 suum primo
 non apposue-
 rit.*

*Quam pro-
 batus, & late
 sparsus sit.*